



Dass

NOT

+

38 36

PROBLEMA PHILOLOGICVM
N V M
DISCIPVLI IOHANNIS BAPTISTAE
FVERINT ESSAEI

Q V O
VIRO MAGNIFICO
SVMME VENERABILI, AMPLISSIMO, DOCTISSIMOQVE
D O M I N O
IOANNI GOTTLOB
CARPZOVIO

S. S. THEOL. DOCTORI ET ECCLESIARVM LVBECENSIVM
SVPERINTENDENTI LONGE MERITISSIMO
PERACTIS IN MVNERE SACRO L ANNIS
IVBILAEVM MINISTERIALE

A. D. XXIV M. NOV. A. R. S. MDCCLIV
B O N I S A V S P I C I I S
C E L E B R A N T I
HANC FELICITATEM EX ANIMO GRATVLATVR
I M M O R T A L I S V I R I
C V L T O R P E R P E T V V S
HENRICVS VON DER HVDE
LVBECENSIS

HELMSTADII
T Y P I S S C H N O R R I A N I S

PROFESSOR A. H. L. BOGNER

N. V. M.

DISCIPULI IOHANNIS BAPTISTAE

VERI ET ESSE

VIRI M. A. N. I. C. O.

IN VENEZIA ANTISSIMO MONASTERO

D. O. M. I. N. O.

IOHANNI GOTTLIB

CAROLO

PH. D. DOCTORI ET PROFESSORI

IN UNIVERSITATE

BEROLINENSIS IN MATHEMATICA

PHYSICA

ET ASTRONOMIA

DOCTORI

PH. D.

IN UNIVERSITATE

BEROLINENSIS

PH. D. CAROLO

PH. D.

PH. D.

PH. D.





QVO rarior eorum solet esse numerus,
 VIR MAGNIFICE, SUMMEQUE
 VENERABILIS, quibus, diuina fa-
 uente clementia, ea contingit felicitas,
 ut annis in munere sanctiori quinquaginta peractis, iubilaeos agere dies possint; eo luculentiora clementiae et amoris diuini specimina in iis deprehendimus. *Quum* autem TE, VIR SUMME VENERABILIS, hoc felicitatis genere a DEO Optimo Maximo maectum laeti conspiciamus; quis est, qui grandi gaudio propter hanc TVAM felicitatem perfusus, in publicos plausus non erumpat? Plaudit omnis orbis literatus, cui merita TVA, quibus immortalitatem apud posteros TIBI conciliasti, nosse datum est. Plaudit coetus Lutheranorum purior, qui indefessum studium circa veritates sanctissimae nostrae religionis, qui labores in commodum eius susceptos, qui diurnam nocturnamque curam, munere a DEO TIBI concredito, rite defungendi, colit et veneratur. Plaudit denique Lubeca de felicitate, Viro, quem inter reuerenda sua asseruat, enata. Plaudunt omnes boni, quibus religio et literae in deliciis sunt, et diu TE adhaec superstitem a summo rerum moderatore, ex affectu cordis purissimo, efflagitant.

IMPIVS forem, et splendidis, quibus me semper,
VIR SVMMÆ VENERABILIS, studiorum et amoris
generibus exornasti, plane indignus, si in communi
plausu, ea, quae pietas et religio a me postulant, negli-
gerem. Duplicem potissimum in TE miror, et vene-
ror, felicitatem. Alteram quidem, quod ex familia or-
tus sis, quae in magno filiorum suorum numero, fili-
um nepotem degenerem nunquam vidit, sed Viros, et
virtutis, eruditionis et pietatis fama ita insignes, ut
etiam exteros in admirationem sui raperent. Alteram,
quod ex CARPZOVIORVM prosapia vnicus sis, cui
peracto in munere semisaeculo iubilaeum celebrare con-
tigit. Hoc duplex, providentiae alterum, alterum cle-
mentiae et gratiae diuinae tam insigne documentum,
venerationem TVI nimium quantum apud bonos o-
mnes auget. Hoc et me ipsum officii, quod iure me
TIBI debere optime noui, admonuit. Ardentissima
semper Numini, per totam fere vitam, pro impetran-
da hac praesenti felicitate, vota nuncupavi: et volupta-
tem verbis vix declarare possum, quam animo concepi,
quam votorum hoc anno me compotem factum vide-
rem. Quo maius autem beneficium a DEO TIBI con-
cessum esse intelligo, eo magis TIBI hanc felicitatem
gratulor. Gratulor orbi erudito de VIRO, quem inter
decora sua refert, adhuc superstite. Gratulor patriae
de Theologo, et morum non fucata probitate, et doctri-
nae puritate insigniter conspicuo. Gratulor et mihi de
FAVTORE ET PATRONO, quem auctorem stato-
renque commodorum meorum etiam in posterum vene-
rabor. Ceterum summum Numen supplex veneror,
ut TE orbi erudito, coetui puriori, bonis omnibus, diu
saluum sospitemque, pro insigni sua clementia, serua-
re velit.

PRO-

V

PROBLEMA PHILOLOGICVM
N V M

DISCIPVLI IOHANNIS BAPTISTAE
FVERINT ESSAEI.

§. I.

Si quid vnquam incertitudine et obscuritate inuolutum *Instituti* deprehenditur; cerre de IOHANNIS *Baptistae discipulis* affirmari poterit, quod praeter id, quod certo *ponitur.* fuerunt, certi et indubitati nihil de iis dici possit. Praeterquam enim, quod Spiritus Sanctus eorum passim mentionem faciat, nihil plane, neque de eorum origine, neque doctrina, neque factis, in scriptura sacra relatum legimus; in cuius silentii rationes frustra inquisueris. Causa, (si valent coniecturae) sine dubio in eo latere videtur, quod magistro suo, de incunabilis noui foederis optime merito, vel morum probitate, vel doctrinae puritate, fuerint vix equiparandi; cuius tamen integrum vitae curriculum, licet in compendio saltem, viri *θεοπνευστοι* nobis reliquerunt. Accedere huic potuit causae, praerogatiua discipulorum ipsius Seruatoris, quorum praestantiam a Spiritu Sancto istorum silentio indicari voluisse, existimauerim. Quo pauciora autem sunt, quae de illis in scriptura sacra reperimus, eo cautius in definiendis iis, quae eos propius spectant, incedendum esse, et ad meras cuncta coniecturas redire, per se patet. Non leuem itaque eos reprehensionem incurrere, qui plura de illis praeter scripturam, solo innixi ingenio, absque vlla auctoritate pronuntiare non verentur, quis est, qui negabit? Apparet hinc, quam grauiter CLEMENS *Alexandrinus* hoc quoque capite fuerit hallucinatus, quum discipulorum a

VI

IOHANNE ad Redemptorem missorum alterum, SILAM, CARPVM alterum, fuisse, prorsus definit (a). Quum enim omnia, quae de illis dici possunt, ad vltima orbis christiani tempora referri debeant, per se patet, nihil certi in hoc negotio affirmari, nisi quod vel a Viris Θεο-
 πνεύματος, vel scriptoribus coaevus, quibus fides tuto habenda, in literas redactum sit. Adeo itaque angustis haec omnia cancellis inclusa esse deprehendimus, quae de his viris dici possunt. Num vero omnis ideo de his discipulis Iohanneis differendi spes deperdita? Quodsi de illis sermo

(a) Ex omnium, qui IOHANNIS *Baptistae* institutione fruebantur, numero, unicus ANDREAS, PETRI germanus frater, nominatur, idque IOH. I. 40. Quaesitum hinc diu multumque fuit eruditus, quam ob causam Euangelista alterius nomen tam sedulo reticuerit? In qua decidenda controuersia non Patres solum primitivae ecclesiae, THEOPHYLACTVS, EPIPHANIVS, CHRYSOSTOMVS alique, verum etiam recentiorum quam plurimi, non sine veri specie, hariolantur, alterum illum discipulum, ANDREAE in legatione ad Christum comitem, ipsum fuisse IOHANNEM *Euangelistam*. Ita praeter LIGTFOOTVM, BASNAGIVM, TARNOVIVM aliosque statuit FRID. ADOLPH. LAMPIVS, in *Comment. Analyt. Exeg. Euang. secund. Iohannem* pag. 18. sq. SIMON PETRVS sane, vt Anonymus quidam in *Observ. Halens.* contendit, nullo modo esse potest propterea, quod hic v. 41. demum a fratre suo ad Christum et eius doctrinam perductus dicitur. Ipse vero Euangelista quin comes ANDREAE perhibeatur, rationes haud proletariae suadent. Quodsi enim arctius illud IOHANNIS cum ANDREA et SIMONE commercium, quod saepius in sacro codice commemoratur, e. g. LVC. XXII, 8. IOH. XX, 2. ACT. III. I. pensitaueris, absimile plane non videtur, eum et in hoc negotio amicum comitatum fuisse. Accedit familiaris Euangelistae modestia, qua, vbi de se ipso loquitur, sui mentionem nomine non iniicit, quum ei tamen honori haud exiguo cessisset, quod inter primos erat referendus, qui Servatoris castra, inchoato munere suo prophético, sequebantur. Pluribus conferri meretur FRID. AD. LAMPIVS loco supra citato.

fermo est, quae eorum indubiam originem, numerum, singulorum nomina et fata concernunt, largior, nihil de his dici posse, quod veritati consentaneum videatur. Longe vero aliter sese res habet, vbi de vitae, cui adfueti, genere, et doctrina, quam professi fuerunt, sermo instituitur. Equidem denuo largior, neque de hoc in sacris literis quicquam inueniri, si perpauca ea, quae MATTH. XI, 14 et LUC. V, 33 leguntur, eximas. Si vero ea, quae de IOHANNE, ipsorum magistro, in sacro codice leguntur; si arctum illud, quod doctorem et discipulos intercessit, tam vitae quam doctrinae commercium, consideraueris: in eam inducor sententiam, ex collatione utrorumque et relatione multa afferri posse, quae ea, quae vitam et doctrinam eorum propius tangunt, in maiori luce collocare queant. Quum autem, quantum mihi quidem constat, eruditorum aut nemo aut pauci haecenus hanc materiam ex instituto pertractauerint, pro imbecillitate mea vires in hoc negotio exercere constitui. Omnia autem, quae hic dici possunt, quum ita sint comparata, vt auctoritate et testimoniis exceptione maioribus, confici nequeant, adeoque meris subinde standum sit coniecturis; eo certius et indubitatus eruditorum veniam, sicubi errauero, mihi polliceor.

§. II.

SVMMA doctrinae Sospitatoris nostri, quam deinceps Apostoli vno ore profitebantur, et per totum terrarum orbem praedicabant, haec erat: vt homines praestantiam doctrinarum Noui Testamenti condoceret, et ad veram fidem in se cohortaretur. Eadem plane erat indoles praeconi IOHANNIS Baptistae, qui praeuia praedicatione hominum animos ad amplectendam Seruatoris doctrinam praeparare diuino consilio debebat. Praeterea Christus et Apostoli in eo erant occupati, vt auditoribus suis ostenderent, schismaticum illud sectarum studium, quo Iudaei nimum delectabantur, cum sanctissima illa N. T. doctrina

*Conditio
status ec-
clesiasticæ
in Iudaea
ante tem-
pora
Christi.*

con-

VIII

consistere non posse, sed omnia in vnitatem fidei, sub potestatem Seruatoris, esse redigenda. Hunc finem IOHANNES *Baptista* adipisci non poterat propterea, quod inuitatio eius mansueta ad poenitentiam et fidem in Messiam, tantum laboris exigebat, vt huic malo medendi neque tempus neque locus ipsi daretur. Omnis autem status ecclesiasticus in Palaestina ante auspiciatissima officii Christi prophetici tempora in diuersas classes et sectas erat distributus, quarum alteri, quotquot sanctioribus literis operam nauabant, nomen suum profitebantur. Tres potissimum maioris momenti sectas tunc viguisse constat. Alii *Pharisaeorum*, alii *Sadducaeorum*, *Essaeorum* alii dogmata arripiebant. Singulorum si examinamus sententias, inuenimus, singulos a singulis in innumeris fere fidei capitibus dissensisse: in paucissimis, sine quibus neque res publica neque coetus Iudaeorum eorumque religio constare poterat, consensisse. (a) Ardua hinc, et ponderosa discutienda venit quaestio, cuiusnam ex recensitis sectae socii, discipuli, qui Baptistam sequebantur, sint habendi? Magna in decidenda hac quaestione circumspeditione opus esse

se

- a) In iis fidei Iudaicae capitibus, quae fundamentum religionis Mosaicae constituebant, (si negatam a Sadducaeis mortuorum resurrectionem eximas, qui error fundamenta religionis Mosaicae euertere omnino poterat) vnanimem fere inter has sectas consensionem deprehendimus. Nec aliter poterant, quam in iis consentire, nisi nomen et famam *prophetarum* Iudaeorum et ABRAHAMI posterorum perdere volebant. Ad haec refero doctrinam de Deo vnico et vero, conditore caeli et terrae, de MOSE duce populi per deserta, et legiflatore diuinitus instituto, de profapia ABRAHAMI a Deo, exclusis reliquis gentibus, in peculium assumpta, et de veritate omnium eorum, quae in lege Mosaica et scriptis prophetarum *ueteris Testamenti* reperiebantur. In reliquis autem, quae fidei quidem fundamentum concernebant, religionis autem auitae formam non immutabant, innumeras animorum contentiones et aeterna in illis videmus dissidia.

se, vnusquisque facile intelliget, qui puritatem doctrinae, quam praecursor Seruatoris professus, et tricas illas quinquiliatque, quibus Iudaeorum religio tunc temporis inquinata erat, rite considerauerit. *Pharisaeis* eos nullo modo adscribi posse, vel inde patet, quod intolerabilis prorsus illorum fastus, aliaque, quae sacrae nobis narrant paginae, et in moribus et in doctrina vitia impediissent, quominus IOHANNIS, cuius doctrina omnia haec respuebat, castra sequerentur. *Sadducei*, peius adhuc *Pharisaeis* hominum genus, talia profitebantur, quae doctrinae IOHANNIS, Christi, et Apostolorum, omnino erant opposita; adeoque ex illorum schola prodire nullo modo potuerunt. Vt taceam, tantis utrosque a Baptistâ MATTH. III, 7 contumeliis affici, quantis eos, qui a partibus suis stabant, vix affecisset. Num itaque ex *Essaeorum* familia erunt repetendi? (b) Fateor hanc hypothesein meo quidem iudicio ira esse comparatam, vt testimoniis forte nonnullis probari posse, existimem. Admodum vero caute incedendum erit, et magna circumspectione hoc negotium tractandum. Quum autem varia *Essaeorum*, vt constat, dentur genera, quorum cuiuslibet generi promiscue adscribi sine crimine non possunt; mihi impositum esse video, paucis antea de *Essaeis*, eorum diuisione et placitis praefari, quo eo luculentius appareat, quibusnam forte ex illis adscribi possent, et a quorum autem societate liberari debeant. (c)

B

§. III.

(b) Impia Deistarum quorundam hypotheseis, Christum et Apostolos ex *Essaeorum* schola prodixisse, refutationem vix meretur. Confer. Vir maximus, cui praefens labor noster consecratus, S.V. IOH. GOTTL. CARPZOVIVS in *Appar. Histor. Crit. Antiquit. Sacri Codic. et Gent. Hebr.* p. 235.

(c) Minoris quidem momenti sectas longe plures inter Iudeos viguisse nouimus, quae vero propter auctoritatem, quam reliquae sibi comparauerant, ad idem cum reliquis honoris et auctoritatis fastigium ascendere non poterant. Referendi huc potissimum sunt (1) HEROBIANI, in cuius appellationis deri-

De ESSAE-
is practi-
cis disqui-
ritur.

ESSENOS siue ESSAEOS (a) in *theoreticos* et *practicos* diuidi, is solummodo negabit, quem sententiarum, quibus

riuanda vera origine, eruditi multifariam discrepant. Qui EPIPHANIVM aliosque ex Patribus sequuntur, existimant, nomen iis impostum esse propterea, quod HERODEM *Magnum*, seu *Ascalonitam*, propter virtutes, animique dotes imaginarias, pro vero Messia agnouerant. Hanc autem denominandi rationem inde minime repetendam esse, ideo patet, quod hac ratione Iudaei Messiam ex gente profana oriundum credidissent, quem tamen ex suo gremio, et speciatim ex tribu IUDAE, proditurum optime nouerant. Magis itaque eorum se commendat sententia, qui hos homines gnathones et adulatores Regis fuisse contendunt, qui beneuolentiam eius variis blandimentis et seruitiis captare annisi fuerint. (II) GAVLONITAE. Nomen sortiti sunt a IUDA quodam *Gaulonite*, a regione natiuitatis ita dicto. Noua hic quidem religionis placita in Iudaeam inferre nolebat, sed in omnibus fere *Pbarisaeorum* se accommodabat sententiis. Nimio autem rigore et zelo pro libertate gentis affectata impulsus, somnolentiam quasi *Pbarisaeorum*, respectu dominii, quod Romani in eos exercebant, aegre ferebat. Erumpebat haec eius *ελευθεριδοξια* in primis occasione censurae secundae, cuius mentionem ACT. V, 37 a GAMALIELE factam legimus, qua omnem populum libertate sua natiua priuatum, omnemque Iudaeam in prouincia, Romanorum imperio subiactis, formam reductum iri existimabat. Hanc quo eo citius amoliri, priscumque ciuibus suis splendorem restaurare eo possit facilius, infelici prorsus consilio et successu, ingentem populi numerum in suas protrahebat partes, quo Romanorum conatibus obuiam ire decernebat. Hominum neminem, solum Deum legitimum haec turba agnoscebat dominum. Legi de his meretur FLAV. IOSEPH *Antiquit. Iudaic. Lib. XVIII. Cap. I. et de Bello Iud. Cap. VIII.* (III) Discipuli domus HILLELIS, quibus se opponebant discipuli domus SCHAMMAL. Hi tantum pro conditione illorum temporum momenti lites inter se alebant, ut in omnibus fere a se inuicem et doctores et discipuli dissiderent. (IV) Inter recentiones KARAITAE et KABBANI-

XI

bus a se inuicem distabant, diuersitates fugiunt. Ex hoc sententiarum diuortio, etiam originem vtrorumque diuersis temporibus diuersisque locis quaerendam esse, existimo. Ac primo quidem de *practicis* quaedam edisseram. Horum originem a captiuitate inde Babylonia repetendam esse, hariolor. Huc delati, urbem sanctam, templum et domicilia sua diruta et penitus euerfa esse, nouerant, omnemque illi vaticiniis prophetarum de futuro in patriam reditu fidem negabant; de restitutione pristini splendoris, cultusque diuini in vrbe sancta spem abiciebant. Sorte hac rerum male constituta, Deo suo etiam inter barbaras et profanas gentes seruire decernebant. Cultum, quem Deo externis ritibus offerendi praesens prohibebat calamitas, interna mentis puritate et integritate absolui posse, opinabantur. Parentum pietatem, liberi, ad maiorem perfectionis gradum perducentes, maiori adhuc pietatis studebant gradui, totam mentem Deo vnice dicari debere

B 2

rati.

BANITAE. Hae inter Iudaeos sectae tanto erga inuicem odio flagrant, vt non diris solum contumeliis alter alterum proscindat, verum ne in eodem quidem loco coniunctim degere pro indelebili odio possint. Pluribus de his et aliis ex omni eruditionis penu passim commentatus est supra iam adductus S. V. IOH. GOTTL. CARPZOVIVS *loc. cit.* Ad do his (V) alias minoris momenti, quas IUSTINVS, EVSEVIUS alique veterum commemorant, GENISTAS, GALILAEOS, GRAECIENSES, MENISTAS, MASBOTHAEOS, HELIOGNOSTOS, MVSORITAS, TROGLODITAS, ASTARITAS, PVTEORITAS, aliosque, quos recenset B. IOH. FRANC. BVDDEVS in *Introd. ad Histor. Philos. Ebraeor.* p. 99. quos tamen pro sectis-peculiaribus non agnoscit celeberr. IAC. BRVCKERVS in *Histor. Crit. Philos.* Tom. II. pag. 788. §. 31.

(a) Etymologia nominis adeo incerta est, vt tot fere in deriuanda nominis ratione inuenies sententias, quot eorum historiam describere aggressi sunt. Sufficiat, vnicum hoc notasse, eos IOSEPHO *Essenos*, PHILONI *Essaeos*, EPIPHANIO denique *Offenos* vocari.

rati. Tempore autem, quod Deus captiuitati gentis suae decreuerat, finito, iubente CYRO Iudaeis potestas in patriam redeundi concedebatur. Plerique, qui in Chaldaea captiuitatem plorabant, hanc occasionem auidè arripiebant. Perpauci duntaxat, qui Deo etiam inter barbaros animi seruire pietate affluenerant, in exilio permanere, Deumque tacite inter externos colere malebant. Ortum hoc in illis desiderium forsitan inde fuit, quod cultum Dei Hierosolymis, propter defectum rerum praesentissimarum, e. g. arcae foederis, praesentiae Domini in Sancto sanctorum, aliarumque, imperfectum mutilatumque fore credebant (b). Sponte sua ad hos Babylone degentes ex Aegypto captiuus defertur PYTHAGORAS, philosophorum suae aetatis facile princeps. Hic vti semper eruditissimos conuenire consueuerat, ita et hic cum sapientioribus Iudaeorum, qui ibi permanserant, (c) saepius colloquebatur. Num forte ex *Pythagoricae* philosophiae placitis *Effacorum practitorum* familia quaedam in sua transiit? Profecto id temere pronunciare non audem, nisi partim viros maximi nominis in eo consentientes haberem, (d) partim mutua collatio philosophiae PYTHAGORAE

RAE

- (b) Conf. B. IOH. FRANC. BVDDEI *diff. de peregrinationibus PYTHAGORAE §. 20.* inserta eius *Analect. bist. philos. pag. 28.* Alii alias statuunt origines. SERARIUS a *Rechabitis* eos deducit; alii a *Nazarais*; alii a philosophis barbaris Iudaizantibus. Quo iure id factum sit, docuit I. A. C. BRVCKERVS *loc. cit. pag. 760. sq.*
- (c) PETR. DAN. HVETIVS ipsum vatem EZECHIELEM sub NAZARATI nomine inter hos delituisse, existimauit. Conf. IOH. FR. BVDDEVS *loc. cit. §. 20 sqq.*
- (d) Sufficiat denuo nominasse B. IOH. FR. BVDDEVM, qui in *Histor. Eccles. Vet. Test. Tom. II. pag. 1216* ita ait: *Fieri potuit, ut, quum inter gentiles degerent, successu temporis quaedam gentilium philosophorum, Pythagorae maxime et Platonis, placita et instituta, quae virtutis et sanctitatis specie maxime se commendabant, assumerent. Certe conuenientiam in plurimis capi.*

RAE et doctrinae *Essaeorum* hanc hypothesin stabilirent. Ab *Ebraeis* philosophum nostrum multa accepisse, quae in suam transtulit philosophiam, dubio caret. Sufficiat loco omnium decantatissimam PYTHAGORAE καθάρσις, *lustrationum, lotionum* atque puritatis studium nominasse. Hoc, quin ex institutis *Ebraeorum* sumserit, non dubito. Constat, *Ebraeos*, ex mandato diuino, etiam externae puritatis studiosissimos fuisse, variisque lotionibus corpora, vestes, alia, mundasse, praesertim, vbi cum rebus vel personis impuris negotium ipsis fuerat antea. Vero hinc absimile non est, eos, quum inter barbaros agerent, hunc ritum studiosius seruasse, quoniam ex commercio cum infidelibus, vt hominibus impuris, talia lustrationum et lotionum exercitia maioris necessitatis esse arbitrabantur. Ista quidem lotiones ex intentione diuina eo spectabant, vt internae animi puritatis sub hoc symbolo Iudaei recordarentur, alias enim Deus corporis potius, quam animae curam gessisse censendus esset. Scopum autem a Deo sapientissime intentum negligebant, et, quamuis lotionum externarum studiosissimi erant, tamen immunditiam, qua animus sordebat, parum curabant. Hunc *Ebraeorum* ritum PYTHAGORAS in suam transferebat philosophiam, docens, tam corpus, quam animam ab impuritate mundandam esse. Testem rei adduco DIOGENEM LAERTIVM, de hoc philosophi more ita perhibentem: Τὴν ἀγνείαν εἶναι διὰ καθαρῶν, καὶ λουτρῶν, καὶ περιέξων τῶν, καὶ διὰ τοῦ αὐτῶν καθάρσειν ἀπὸ τε κήδους, καὶ λέχους, καὶ μιάσματος

B 3

πῶν-

capitibus inter *Essacos* et *Pythagoracos*, dudum viri docti animaduertent. Et pag. 1217: Hinc et alii tres istas Iudaeorum sectas cum celebrioribus, quae apud Graecos fuerunt, philosophorum sectis comparare solent; vt *Pharisaeos* quidem *Stoicis*, *Sadducaeos* *Epicuracis*, *Essacos* autem *Pythagoracis* respondere contendunt. Nec sine omni vt puto ratione. Ex Graecorum philosophia multa ad *Essacos* peruenisse, cum *BYDDEO* erudite demonstrat IAC. BRVCKERVS loc. cit. pag. 759.

παντός, καὶ ἀπέχεσθαι βρωτῶν θνησίδων τε κρεῶν. *Munditiem fieri expiationibus, et lauacris et asperfusionibus, et vacando a funere et cubili, et omni inquinamento, morticinisque et pollutis carnibus abstinendo.* (e) Plura alia PYTHAGORAM ab Ebraeis accepisse non nego; (f) verum *Effacis* etiam multa ex PYTHAGORAE placitis arrisisse, negari nullo modo poterit. Clarior res fiet, si aliqua saltem *Effaciorum* dogmata et consuetudines afferantur, quae a gente sua nullo modo, a philosopho autem sine dubio assumserunt. Vtrique optima, quibus auaritia e mortalium animis eradicari possit, quaerebant remedia. Nihil huic fini obtinendo aptius et conuenientius putabant, quam si omnimoda bonorum communio inter suos introduceretur. De PYTHAGORA diserte hoc affirmat LAERTIVS. Εἶπε τε πρῶτος (ὡς Φησι Τιμαίος) κοινὰ τὰ φίλων εἶναι - - καὶ αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ κατετίθεντο τοῖς οὐσίαις, εἰς ἓν ποιοῦμενοι. *Dixit autem primus (viti ait TIMAEVS) amicorum omnia communia esse - - et discipuli eius deposuerunt facultates communes facientes.* (g) Et alibi: Λέγεται παρεγγυῆν αὐτὸν ἐκάστοτε τοῖς μαθηταῖς - - Ἴδιον μὴδὲν ἡγεῖσθαι. *Dicitur discipulos admonere solitus - - proprium nihil existimandum.* (h) De *Effacis* paria refert PHILo *Alexandrinus*: Εἶτ' ἐστὶ ταμείον ἐν πάντων καὶ δαπάναι, καὶ κοινὰ μὲν ἐσθῆτες, κοινὰ δὲ τροφαὶ συσσίτια πεποικμένον - - - ὅσα γὰρ μεθ' ἡμέραν ἐργαζάμενοι λάβωσιν ἐπὶ μισθῶ, ταῦτ' οὐκ ἴδια φυλάττουσιν, ἀλλ' εἰς μέσον προστιθέντες κοινῇ τοῖς ἐθέλουσι χεῖσθαι τὴν ἀπ' αὐτῶν παρακελεύουσι ὠφέλειαν. *Practerea omnibus unum est promptuarium, unde vestitus et mensa communis sumitur. - - Quacunque enim ex quotidianis operibus mercedis loco reportant,*
ea

(e) *In vita PYTHAGORAE Lib. VIII, segm. 33*

(f) Refertur huc debet celebris illa PYTHAGORAE τετρακύβητος, quo nomine philosophum Trinitatem, a propheta DANIELE ipsi demonstratam, intellexisse, quidam existimant.

(g) *Loc. cit. segm. 10*

(h) *Loc. cit. segm. 22-23*

ea propria non seruant, sed in medium collocantes, volentibus fruendi potestatem concedunt. (i) Hoc certe *Essæorum* de communione inter suos bonorum institutum, nisi me omnia fallunt, a PYTHAGORA erit repetendum. Deum hoc ipsis praecepisse, ex sacris literis euinci non poterit. Vnde enim egenorum in gente Iudaica tantus existisset numerus, si omnibus quae ad vitam commode sustentandam necessaria erant, ex publico quodam sibi vindicare aerario integrum fuisset? Vnde ergo haec illis enata confuerudo, nisi a PYTHAGORA? Clarius res fiet, si alia quaedam adduxero, quae non, nisi ex eius schola, ad *Essæos* transire potuerunt. PYTHAGORAM Diis suis hostias inanimatas obtulisse testis est LAERTIVS: Ουσίας ἐχέειτο ἀψύχους. *Sacrificiis utebatur inanimatis.* (k) Et paulo post: Σφάγια τε Θεῶς προσέχειν κωλύειν, μόνον δὲ τὸν ἀναίμακτον ἑωυτὸν προσκυθεῖν. *Cruentus hostias Diis offerri, prohibuisse, solamque aram, quae esset sine sanguine, adorandam.* (l) Paria de *Essæis* PHILO refert, quando ait: Οὐ ζῶα καταθύοντες. *Viva non immolantes.* (m) PYTHAGORAM iuramenta repudiasse perhibet LAERTIVS: Μηδὲ ἐμύναυ Θεῶς ἀσχεῖν γὰρ αὐτὸν θεῶν ἀξιοπιστον παρέχειν. *Neque per Deos irrarare. Studere enim quemque debere, ut fide dignus appareat.* (n) A iuramentis pariter ac mendacii abstinentiam, PHILO in *Essæis* summis laudibus effert; (o) immo, IOSEPHO auctore, iusiurandum magis auersabantur quam periurium, quoniam eum iam mendacem censerunt quam per iuramentum, cui sine Deo fides non adhibeatur. Haec duo posteriora, quae in *Essæis* deprehendimus, minime ex placitis et confuerudine maiorum reperi possunt. Sacrificia enim cruenta et animata Deus sibi offerri peculiari mandato sancie-

rat.

(i) In Libro, *Quod omnis probus liber*, pag. 878.

(k) *Loc. cit. segm. 20.* (l) *Loc. cit. segm. 22.*

(m) *Loc. cit. pag. 876.* (n) *Loc. cit. segm. 22.*

(o) *Loc. cit. pag. 877.*

rat. Iuramenta itidem non modo Iudaeis licita, verum etiam ad componendas lites necessaria fuisse, constat. Nisi itaque haec eos a PYTHAGORA desumpsisse censeamus; fontem, ex quo haec hauserint, plane ignoro, pro *Mosaicis* enim haec nemo agnosceret. (p) Plura tamen alia apud *Essaeos* reperies dogmata, quorum origo neque in moribus gentis Iudaicae, neque in placitis PYTHAGORAE, sed in praepostero pietatis et sanctimoniae studio quaerenda est. Sic v. c. cultum Numini debitum, in strepitu urbano minus dextre minusque pure absolui posse rati, ciuitates fugiebant, locaque solitaria et campeltria, ab aditu reliquorum hominum remotiora incolebant. (q) Sic philosophiam, inprimis Graecanicam, summopere detestabantur, verborum eam captatoribus relinquentes propterea, quod parandae virtuti eam non necessariam arbitrabantur. Reliqua, quae de illis dici possunt, breuitatis studiosus omitto.

§. IV.

De ESSAEIS practicis, *theoreticos* illos siue *Therapeutas*, et in doctrina quodammodo puriores, et in vita integros censendos esse, existimo. Hi vti in placitis, familiae suae propriis, a *practicis* longe distabant, ita etiam eorum originem alia temporis periodo quaerendam esse, non est quod dubitemus. Certi quid in hoc negotio affirmare non audeo, quoniam in antiquorum scriptorum monumentis parum vel nihil plane de eo relatum legimus. Quum

- (p) Pluribus hoc confirmat IAC. BRVCKERVS *loc. cit. pag. 777 sq.*
 (q) Ita enim PHILO tradit. Cui autem IOSEPHVS contra dicit, existimans, eos, licet non in vna, tamen in diuersis habitasse, immo in quibuslibet fere distributos fuisse ciuitatibus. PHILONIS autem auctoritate hac in re magis nobis standum esse, perspiciet vnusquisque, qui reliqua eorum negotia, vt agriculturae studium, a mercatura et negotiis oppidanis distincta, considerauerit.

Quum autem conster, hoc genus hominum fere semper (qua in re cum *practicis* conueniunt,) rure, in syluis, locifue remotioribus vixisse, vero non abfimile videtur, *primariam* eorum originem in turbulentis et ipsis illis temporibus, quibus prior Hierosolymorum deuastatio incidebat, quaerendam esse. Vrbe enim sancta furore NEBYCADNEZARIS euersa, omnique fere populo in captiuitatem victoris redacto, fieri potuit, vt aliqui ex illis clandestina fuga Babylonis se subdlexerint. Re Iudaeorum pessime constituta, deserta Syriae et Palaestinae petebant, nisi Assyriorum iugo se vellent submittere. Huc redacti, quum se vrbe sancta praeclusos, templo et occasione Deum more praescripto colendi destitutos viderent; facile in eam deducebantur opinionem, cultum Numinis internum, cum intensiori pietatis et sanctimoniae studio coniunctum, ad placandum Deum sufficere. Solitudo et commercium cum impuris et profanis hominibus, sententiam semel conceptam obfirmare potuit. *Secundariam* originem in illis colloco temporibus, quo MACCABAEORVM fratrum prouidentia gentem contra insultus profanorum et tyrannorum principum munire studebat. Tyrannide enim ANTIOCHI in Iudaea faeuente, purioremque cultum Numinis impediante, Iudaeorum plurimi, qui adhuc amore legis *Mosaicae* ducebantur, prae timore, rura, syluas, speluncas montium aliaque loca deserta petebant. Conf. I. MACCAB. I, 49, 56. II, 27-31. Horum sine dubio complures cum illis, qui tempore vastationis Assyriacae huc delati erant, societatem inibant, cultumque Numinis in solitudine secure absolui posse, opinabantur (a). Liberi, vt fit, maiorum vestigiis presse insistebant, moresque auitos probabant, et studiosissimi imitabantur. Hinc factum est, vt id, quod initio necessitas suaserat, successu temporis ita in consuetudine

C

rudi-

(a) Conf. S. V. IOH. LAVR. MOSHEMIVS in *Inst. Histor. Christian. Maior. Saec. I. Part. I. Cap. II. §. XIV. pag. 81 sq.*

XVIII

tudinem abierit, ut peculiaris inde secta atque familia enata fuerit. Dogmata eorum paucis tantum enarrabo, quoniam in sequentibus vberius de illis dicendi occasio dabitur. Communis fere omnium animos inuaserat opinio, in strepitu urbano cultum Dei puriorem cum eleuatione et euacuatione mentis debita non ita dextre peragi posse. Sedulo itaque vrbes fugiebant, et domicilia in sylvis aliisque locis desertis erigebant, quo eo securiores negotiis, maxime diuinis, vacare, veraeque pietati sine impedimento litare possent. Quum opum et diuitiarum studium moralium animos non raro a pietatis tramite ad terrenorum auiam deducere, indeque etiam inuidiam aliorum conciliare intelligebant; sedulo erant eo occupati, ut contemptum opum suis instillarent, eoque perducerent, vt vltro quique facultatibus suis se abdicaret, et alteri concederet. Rigidiorum prae ceteris negotia quotidiana haec fere erant, vt in *συνεία καὶ μοναχίαι* sua quisque se reciperet, ibique in solitudine sanctioris vitae studio dicaret. Legem et prophetarum varicina, hymnosque in laudem Numinis compositos secum afferebant. Sic perpetuam Dei in animo memoriam tueri studebant, vt, teste PHILONE, *ne in somniis quidem aliud iis obuersetur, quam imagines diuinarum pulchritudinum. Et sunt in his,* (ita pergit Iudaeus,) *qui etiam somniando produnt praeclaras sacrae philosophiae sententias.* Cultus diuini rationem PHILONIS ita enunciat: *Quotidie bis precari solent, mane ac sub vesperam, oriente die petentes diem vere felicem, vtque mentes eorum coelesti replentur lumine: occidente vero, vt anima in totum exonerata sensibus, moleque rerum sensibilium, veritatem vestiget in confessorio domestico. Medium vero matutini vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur.* Practici quidem ESSAEI vt supra indicauimus, philosophiam quam maxime detestabantur, solique literae sacrarum paginarum inhaerebant; reliqua, allegoriarum redolentia studium, verborum captatoribus relinquentes. Theoretici autem his e diametro contraria docebant; Allegoriis quam maxime

xime

xime studebant; sub verbis literae secretos et abstrusos veritarum caelestium fontes latere, existimantes. Ita autem de hoc genere studiorum PHILo differit: *Enarrationes sacrarum literarum constant ex Allegoriis. Nam hi viri totam legem existimant habere animalis similitudinem, quod praecepta corpus referant, animam vero sententiae retrusiores, sub velamine verborum abditae, in quibus rationalis anima egregie se ipsum contempletur tanquam in speculo, sub his ipsis verbis miram sententiarum pulchritudinem conspiciens, et explicans e figurarum inuolucris, atque ita penititorem intellectum in lucem producens, dumtaxat apud eos, qui per occasionem admoniti sciunt obscura ex apertis colligere.* Paria fere in conuiuuiis, prandiis, atque coenis obseruabant negotia. In silentio enim reliquorum fere vniuersali, prudentiorum quis abstrusius et sublimius aliquod ex facris literis problema proponebat, in quo soluendo ii, qui acutioris reliquis iudicabantur ingenii, vires suas exercebant. Modestiam, quum fontem veritatis putabant, mendacium autem ex fastu oriri sibi persuasum habebant; huic prae reliquis virtuti operam quam maxime dabant. Ex hoc fonte intensius illud tam in cibo quam in vestitu mediocritatis profluebat studium, ita, vt prae nimio virtutis huius studio etiam necessariis ad vitam commode transigendam caruerint subsidiis; vnde factum, vt alii neque cibum neque potum ante solis occasum sumserint, quod sapientiae et pietatis studium luci, tenebris vero curam corporis habendam esse iudicabant. Eandem circa vestitum obseruabant sollicitudinem, ita, vt non nisi iis vterentur vestibus, sine quibus corpus neque a calore neque a frigore nimio defendi poterat. Hae cum aliis, quas in *Therapeutis* deprehendit virtutes, ita commouebant PHILONEM, vt tantis eos exornaret encomiis, quantum quidem a socio expectare poterant (b). Enarratis enim

C 2

omni-
 (b) Larga PHILONIS *Essacorum* laus multos in eam induxit sententiam, vt ipsum PHILONEM pro *Essaco* et *schismatico* hater-

omnibus, quae in iis obseruauerat, virtutum generibus, his verbis finem libro de *vita contemplatiua* imponit: *Hactenus de therapeutis, naturae contemplatoribus, et huic tantum studio curandaeque animae per totam vitam deditis, caeli et mundi ciuibus, patri conditorique rerum propter suam virtutem commendatissimis: qua conciliante adepti caelestis numinis amicitiam, praemium conuenientissimum, fortuna virtuti posthabita, euaserunt ad supremum felicitatis fastigium.*

§. V.

Discipulos CONSIDERATIS haec tenus *Essaeorum*, tam *prae-*
IOHANNIS *vum*, quam *theoreticorum* placitis, dispiciamus, quibus
ad practi- nam ex iis Protobaptistae discipuli possent annumerari.
cos Essae- Ad *practicos* quo minus eos referamus, puritas doctrinae,
os refer- quam IOHANNES profitebarur, impedit. Praeterquam
vi posse, enim quod communionis bonorum (quae subsequenti tem-
negatur. pore, diuersas licet ob rationes, inter Christianos viguit,) nec volam nec vestigium in praecursoris doctrina inuenies; reliqua, quae hic suos docebat magister, ita erant comparata, vt cum *practicorum* hypothesebus conciliari nullo modo possent. *Essaeos practicos* Deo, licet non cruenta pecudum, alia tamen, siue de primitiis et fructibus agrorum, siue de alia quacunque re, inanimata obtulisse sacrificia, supra demonstraui. IOHANNIS autem dogmata ita erant comparata, vt suos de vanitate sacrificiorum in nouo foedere commoneret, et ad veram in Messiam, mox appariturum, fidem, animos suorum praepararet. Qui itaque fieri potuisset, vt hoc genus viro fidem haberet, non ea docenti, quae non modo in lege Moesaica sancita, fed

berent. Sed nullo id iure fieri, ostendit Praeceptor eruditio-
 nis fama inclutus, S. V. IOH. BEN. CARPZOVIUS, in *Sacr.*
Exercit. ad S. PAULI Epist. ad Ebraeos ex PHILONE pag. 474
 Si *Essaeum* fuisse statuamus, dicendum erit, cum ad vtrosque et ad
theoreticos et ad *practicos* referri debere, quoniam vtrosque
 pari laude celebrat. Id autem quo minus fieri debeat, dispari-
 tas opinionum vtrorumque abunde docet.

fed etiam publico inter suos ex more maiorum fuffragio publici quafi iuris facta. Iuramenta, neque doctrina Seruatoris, neque Baptiftae promiscue repudiabat, licet arctioribus ea includenda effe cancellis fuauebat. *Effacos* autem, fine vlllo adhibito discrimine, ab iis abftinuilfe, fupra euictum eft. Neque foli facrarum paginarum literae inhaerebat IOHANNES, fed difficiliora prae reliquis loca, vberiori explicatione fuis clariora reddere ftudebat; fecus a *practicis* factum effe, ex iis quae iam dicta funt, conftat. Quum itaque in tanti momenti rebus *Effaci practici* a IOHANNES diffarent, probabile non videtur, eos IOHANNEM pro Doctore et Magiftro agnouiffe. Alias enim integrum fere doctrinae fystema immutare debuiffent.

§. VI.

LONGE aliter res fe fe habet cum *Effaci theoreticis*, fi-
ue THERAPEVTIS, quorum pleraque, fi in paucis difce-
das, dogmata, a *practicorum* difciplina diftabant. In do-
ctrina enim puriores, et in vita integriores fuiiffe eos inue-
nimus. Sacrificiis, neque animatis, neque inanimatis De-
um placari poffe, rati, in mentis interna puritate, et
fancimoniam eminentiori, praecipuum amicitiae et vnionis
cum Deo medium quaerendum effe, fibi perfuafum habe-
bant. (a) A iuramentis quibuflibet abftinuilfe eos, non legi-
mus: quamuis a vero non abhorreat, eos ob puritatem
doctrinae, quam affectabant, caute cum iuramentis verfa-
tos fuiiffe, et ea non nifi fumma vrgente neceffitate admi-
fiffe. Haec et alia, quae in iis deprehendimus, virtutum
genera, meditantem eo adducere poffent, vt ille difcipu-
los IOHANNIS, quorum Scriptura Sacra paffim memorat,
C 3

- (a) Obferuari hic meretur, neque PHILONEM, neque alios, qui de *Tberapeutis* tradiderunt, facrificiorum apud eos vifitatorum mentionem iniicere. Hinc vero non abftimile, eos facrificia Mofaica dudum inter fuos abrogata voluiffe, adeoque eo facilius doctrinae IOHANNIS aures praebere potuerunt.

ex *Therapeutarum* familia prodiisse, credere posset. (b) Ne is autem sine rationibus aliquid dixisse videatur, ex collatione eorum, quae doctrinae IOHANNIS et *Therapeutarum* communia fuerit, illustrare hypothesein allaborabo.

§. VII.

Argumen-
tum I. a
conueni-
entia ha-
bitationis
desum-
tum.

PRIMUM sententiae huius argumentum suppeditat locus habitationis, quo Protobaptista tantum non semper esse, populumque erudire solebat. Erat hic locus desertum aliquod Palaestinae, sine dubio prope Hierosoly-
mas, ab ESAIA vate ipsi iam assignatum *Cap. XL, 3.*, et in historia Euangelica plus vna vice commemoratum, *MATTH. III, I. MARC. I, 3. 4. LVC. III, 3. 4. IOH. I, 23.* Non operosus ero in indagandis rationibus, cur tam exilia praeconii Euangelici initia esse voluerit sapientia diuina? cur non potius in vrbe sancta, aut in ipso templo eius primordia collocauerit? Vt enim symbolum humilitatis et simplicitatis hic latens taceam, sane in vrbe sancta inter furores *Sadducaeorum* et *Pharisaeorum* auspicia Euangelii ordiri Praeco non poterat. Tutius in desertis prope vr-
bem id poterat peragi. *Therapeutae* idem plane vitae genus seruabant, ob causas supra iam add. etas. Describit il-
lud PHILO tam accurate, vt in multis haec eorum conditio cum IOHANNIS vitae genere conuenire videatur. En ipsa eius verba: *Τεχνῶν ἔξω ποιῶνται τὰς διατριβὰς ἐν κήποις ἢ μο-*

- (b) Primam huic meae hypothesei occasionem suppeditauit Praeceptor noster, quouis pietatis et religionis genere dignissimus, S. V. IOH. BEN. CARPZOVIVS. Eum enim in praelectionibus theologis aliquando dixisse memini: *videri aliquam inter nonnullos Essaeos et discipulos Iohanneos conuenientiam esse.* Haec, quum deinceps accuratius animo voluebam, et eorum simul, qui de Essaeis tradebant, scripta consulebam: de veritate asserti huius non solum magis conuincebant, sed et hypotheseos proxima, quae daretur, occasione, publice proponendae desiderium in animo meo excitabant.

ἢ μοναχίοις, ἐρημίαν μεταδιώκοντες, ἢ διὰ τινὰ ὠμὴν ἐπιτετηδευ-
 μένην μισανθροπίαν, ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐν τῶν ἀνομιῶν τὸ ἕθος ἐπι-
 μιζίας, ἀλυστελεῖς καὶ βλαβεροὺς εἰδότες. *Extra moenia de-
 gunt in hortis aut villis solitariis, amantes solitudinem non
 hominum odio, sed ad cauendos cum dissimilibus congressus,
 quos sciunt bonis moribus nocere (a).* Domicilia Therapeu-
 tarum in desertis exstructa, ita describit: Αἱ δὲ οἰκίαι τῶν
 συνελλυθῶτων, σφοδρὰ μὲν εὐτελεῖς εἰσι, πρὸς δύο τὰ ἀναγκα-
 ῖατα σκέπη παρέχουσαι, πρὸς τε τὸν ἀφ' ἡλίου φλογμὸν, καὶ
 τὸν ἀπὸ ἀέρος κρυμὸν. Οὔτε δὲ ἐγγύς, ὥσπερ αἱ ἐν τοῖς ἄσπετιν.
 Ὀχληρὸν γὰρ καὶ δυσάρεστον τοῖς ἐρημίαν ἐζηλωκόσι καὶ μεταδιώ-
 κουσιν αἱ γειτνιασεῖς. Οὔτε πόρεω, δὲ ἦν ἀσπάζονται κοινωνίαν,
 καὶ ἴνα εὐχρῶν γένοιτα ἕφοδος ἀλλήλοις ἐπίδοσθῶσιν. *Domici-
 lia autem conuenientium valde frugalia sunt, parata contra
 aestum tantummodo et frigora. Non contigua ut in urbibus.
 Non enim placet id amantibus solitudinem. Nec tamen longe
 remota, quia societatem diligunt, et sibi inuicem possint con-
 tra latronum fortuitos incursus succurrere. (b)* In hoc ita-
 que solitario vitae genere constituti, quum de nouo, ha-
 ἔτενος ἰψῖς nec vīfo nec audito, desertarum regionum in-
 cola audirent, qui non solum simile cum ἰψῖς vitae genus
 elegisset, verum etiam in nonnullis rebus cum ἰψῖς con-
 uenire diceretur; sine dubio aliqui ex illis eum explora-
 tum conuenerunt. Sublimitas autem doctrinae et grauitas
 fermonis viri diuini, annon forsitā aliquos ex illis ita in
 assensum protrahere potuit, vt non solum ei se adsociare,
 verum etiam pro Doctore et Seniore agnoscere decerne-
 rent? Teste enim PHILONE, *Therapeutae non solum peri-
 tissimos summo honore prosequi, sed et tacite ea, quae profere-
 bant, probare solebant.* Accedebat doctoris nouitas, quo
 peritiorem, grauiorem et praestantiorē inter Essaeos
 non fuisset fateri cogebantur. Neque mirum itaque, neque
 a veri-

(a) In Libr. de Vita contempl. pag. 892.
 (b) Loc. cit. pag. 893.

a verisimilitudine abhorrere videtur, vel solum hoc vitae genus, quosdam ex iis IOHANNI conciliaſſe, praefertim quum, praeter haec, nonnulla in eo deprehendebant, quae, ſi non ex aſſe cum doctrina ipſorum conuenire, repugnare ſaltem illi non videbantur.

§. VIII.

Argum.
II. a con-
uenientia
veſtitus
petitum.

ALIVD ſuppeditare poſſet argumentum, exile illud et vile veſtimentorum genus, quo Baptiſta, ſi non ſemper, plerumque tamen indutus eſſe ſolebat. Habebat enim ενδυμα από τριχῶν καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφύν. Rationes inuſitati huius veſtitus, praeter ſymbolum puritatis et ſimplicitatis doctrinarum caeleſtium, fuere, vt animum, partim a faſtu *Phariſaeorum* reliquorumque, partim a ſuperbia aulicorum longe remorum, hoc ipſo indicaret. Interim tamen et hac modestia ſua quosdam ex *Therapeutis* ſibi deuincere forſitan potuit. Curam enim et ſollicitudinem eorum, reſpectu veſtitus ab vrbanis ſe ſegregandi, PHILLO diſerte tradit, quando ait: Καὶ ἐσθῆς δὲ ὁμοίως εὐτελεσάτη, πρὸς ἀλέγημα κερυμοῦ τε καὶ θάλπου, χλαῖνα μὲν ἀντὶ λατοῦ δορᾶς παρχεια χειμῶνος ἐξωμὶς δὲ, θέρους, ἢ ὀθόνη συνόλωσ γὰρ αἰσκούσιν αὐτοῖαν. In veſte autem eadem apparet ſimplicitas, ad arcendos calores et frigora, pro pelliceis craſſa tunica in hyeme, aeſtate vero exomis et interula lineae, in vniuerſum enim exercent modestiam (a). Haec morum conuenientia, quam *Therapeutae* in IOHANNI deprehendebant, quidni potuerit animos eorum ita in eum conuertere, ut praefantiffimum eum doctorem, a fūco, a ſuperbia, ab aliis vitiis longiſſime remotum, putarent?

§. IX.

Argum.

III. a con- vulgare alimentorum genus, quo IOHANNEM uſum fuiſſe,

a) De Vit. contempl. pag. 895.

fe, sacris docemur literis, quodque erant *ἀγλαὸς καὶ μέλας* uenientia
ἀγλαίον. Non inquiram in id, quodnam ciborum genus *alimenti*
 per τὰς ἀγλαίας Spiritus S. intelligat. Sufficit nobis, fuisse *desum-*
 cibum vilissimum a deliciis aulicorum et urbanorum alic-
 num. Eandem in cibando mediocritatem de *Therapeutis*
 praedicat PHILLO, cuius verba breuitatis studio in versione
 saltem dabo: *In cibatu utuntur pane simplici, sal vicem sup-*
plet obsonii, qui deliciares sunt, hyssopum pro condimento
adiiunt. Potum e fluentis hauriunt, contenti placare domi-
nas a natura mortalibus additas, famem sitimque, absque om-
nibus lenociniis fruendo rebus, sine quibus non licet viuere.
Edunt igitur, ne esuriant, bibunt, ne sitiant, saturitatem
cauendo, ut inimicam animo pariter ac corpori. (a) Quid
 mirum itaque, fama, de mediocritate et temperantia Ba-
 ptistae, ad *Therapeutas* perlata, si desiderium, communem
 vitae societatem cum eo ineundi, in illis auctum sit? Tri-
 plex certe haec conuenientia, quam in moribus eius ex-
 ternis deprehendebant, nonne hos in eam deducere po-
 tuit sententiam, fore, ut etiam in iis, quae doctrinam con-
 cernebant, cum ipsis consentiret? Inita ergo et stabilita
 hac societate, Baptista noster, sanctissimae, cuius propa-
 gandae causa a Deo delegatus erat, religionis fundamenta
 ipsis sine dubio commonstrare, et de veritate eius conuiu-
 cere potuit. Eoque facilius hos conuincere de veritate
 religionis Christianae, et de necessitate abrogationis cul-
 tus leuitici, videretur potuisse, quo prudentiores reliquis
 Iudaeis, et a praeiudicatis opinionibus alieniores censendi
 erant. Neque dubium esset, quin in plerisque fidei capi-
 tibus ad agnoscendam veritatem successu temporis com-
 mouerit, quoniam *θεομνηστία* sermonum eius, et interna
 Spiritus sancti cooperatio, ea, quae docebat, in animis
 auditorum obsignabat. MATTH. XI, 12.

D

§. X.

(a) Loc. cit. pag. 894sq. et pag. 900.

Argum. SINGVLARE illud, et ad nimium vsque productum, IV. a ieiunio strif-
repetitum clarius adhuc proponere videtur. Docent enim sacrae literae, apud MATTH. IX, 14 (LV. C. V, 33) discipulos IOHANNIS vna cum *Pharisaeis* Christum conuenisse, interrogatum, cur discipuli eius ieiunia tam parum curarent, quum tamen ipsi in hoc pietatis exercitio studiosissimi reperiantur? (a) *Pharisaeos* quidem in obseruandis ieiuniis tenacissimos fuisse, et series scripturae sacrae, et alii scriptores testantur. Hos tamen, in numerum discipulorum Baptistae nullo iure referri posse, non modo euincit id quod clare a discipulis *Iobanneis* distinguantur, verum etiam ipsius magistri in hos homines odium, MATTH. III, 7 declaratum. *Therapeutis* autem hoc pietatis exercitium pariter vitarissimum fuisse, testis est denuo PHILO, ita de illis differens: *Nec cibum nec potum quisquam sumit ante solis occasum - - nonnulli ex his vix tertio quoque die famem sentiunt - - nec desunt, qui perdurant duplum eius temporis, et vix sexto die degustant cibum necessarium, assueti, sicut cicadae, rore viuere, canticis, puto, solantes mediam.* (b) Hoc iei-

- (a) Semper eruditi mirati sunt, cur *Essaeorum* in Sacris literis mentio nunquam fuerit iniecta, quum tamen *Pharisaeorum* *Sadaecaeorum*que nomina repetitis vicibus reperiantur. Si verum est, IOHANNIS discipulos *Essaeos* fuisse, apparet, iis locis eos, licet sub alio nomine introduci. Immortalis CHEMNITIVS *Exam. Conc. Tyrid. Part. IV pag. 123 seqq.* in verbis Apostoli Col. II, 18 sqq vberiore eorum mentionem factam esse, magno eruditionis apparatu demonstrauit. Verum salua in manes Viri huius religione, cum aliis viris doctissimis affirmauerim, Apostolum non tam de *Essaeis*, quam in genere de erroribus Iudaeorum, speciatim sectarum quarumlibet celebrium, hoc loco agere, et Colossenses contra eorum infidias, quibus recens conuersos in partes suas trahere nitebantur, munire et hortari voluisse. Pluribus id eicit S. V. IOH. GOTTL. CARPZOVIUS *loc. cit. pag. 233 sqq.* (b) *L. c. p. 894.*

ieiunium, quum promouendae pietati necessarium duce-
rent ex praeconcepta antiquitus opinione, illud vna cum
aliis erroribus deponere non poterant. Nec est, quod
dicas, IOHANNEM sine dubio ipsis vanitatem huius insti-
tuti, et quod ad meritum inde acquirendum minime con-
ducat, indicasse. Maioris enim momenti res, et errores
ex animis eorum maiores eradicandi erant, ita, vt curam
in hoc remouendo non primariam adhibuisset.

§. XI.

QVAS adduxi rationes si eas coniunctim considera-
mus, in eam aliquis induci posset, non diffiteor, senten-
tiam, quasi discipuli illi, quos Scriptura sacra iteratis vici-
bus IOHANNEM Baptistam secutos fuisse, commemorat,
ex *Essaeorum theoreticorum* vel *Therapeutarum* familia repe-
tendi essent. Omnes enim, ante tempora Seruatoris, Iu-
daeos, qui sanctioribus literis operam dabant, ad vnam
ex his tribus celebrioribus sectis referendos esse, notum
est. Ex omnibus autem his, *Therapeutas puriores*, et do-
ctrinae IOHANNIS et Noui Testamenti, prae reliquis ma-
gis conuenientes fouisse sententias, dubio caret. Interim
tamen, rem omnem hanc ad problemata referri sacra de-
bere, lubens et modestissime profiteor, propterea, quod
in monumentis sacris et antiquioribus ecclesiasticis nihil
plane de hoc constat. Rationibus autem, quae sententiam
a me propositam illustrare videantur, consideratis, vero
non per omnia dissimile videtur, discipulos hosce ex scho-
la et familia eorum, qui *Therapeutarum* nomine
innotuerunt, repetendos esse.



00 A 6427

ULB Halle
002 927 292

3



0018

R



inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

38 36

LEMA PHILOLOGICVM
N V M

LI IOHANNIS BAPTISTAE
ERINT ESSAEI

Q V O
IRO MAGNIFICO
NERABIL, AMPLISSIMO, DOCTISSIMOQVE
D O M I N O

NNI GOTTLÖB
ARPZOVIO

DOCTORI ET ECCLESIARVM LVBECENSIVM
NTENDENTI LONGE MERITISSIMO
S IN MVNERE SACRO L ANNIS

BILAEVM MINISTERIALE
XXIV M. NOV. A. R. S. MDCCLIV
NIS AVSPICIIS

CELEBRANTI
LICITATEM EX ANIMO GRATVLATVR
MORTALIS VIRI
CVLTOR PERPETVVS
ICVS VON DER HVDE
LVBECENSIS

HELMSTADII
IS SCHNORRIANIS